UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam interpretis donatus

Peregrinvs terræ. Fascicvlvs Myrrhæ Siue Considerationes Variæ Super Plagas Et Vulnera Christi D.N. Itinerarium. Seraphinus. Civis coeli

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

Amor fons Lacrimarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49469

Visual Library

CONSIDERATIO XXVI.

AMOR DEI,

Amor fons lacrimarum.

OCtava conditio, *flere cum amato ſæpe, vel, ſi abſens, ex dolore; vel, ſi præſens, ex lætitia.* Veni, ad dilecte Sponſe; veni vita animæ. O quam durum tormentum eſt, vivere procul a te? Fiant oculi mei vivi fontes lacrimarum: & plorent præ dolore, quia non video meum Amorem.

Revertere, dilecte mi, revertere. Ah revertere, mi Amor, noli diutius morari. Quia ſine te, qui es lux mea, vivit anima in tenebris: Sine te, qui es cibus meus, vivit anima in continua fame: Sine te, vita mea non vivit, non: ſed vivens moritur. *Revertere, dilecte mi, revertere, & ſimilis eſto capreæ, hinnuloque cervorum.* Revertere, amatum & amans Bonum meum: & eâ ipſum velocitate, quâ capreæ currunt in montibus.

Veni Domine IESV; veni, Domine IESV, veni. Quando audiam dici à te dulce illud verbum, *Venio?* Tunc jubilabo, tunc plorabo, ſed lacrimis lætitiæ. Quia ſemper plorat Amor, *vel, ſi abſens, ex dolore; vel, ſi præſens, ex lætitia.* Sed præſentia brevis eſt: *brevis hora, brevis mora.* O ſi duraret! Non poſſet præ dulcedine contineri anima in corpore. *Veni, Domine IESV, veni.*